

DISQVISITIO HISTORICO-IVRIDICA
AN ET QVATENVS
IVSTVM CONSVLTVMQVE SIT,
TEMPORI INSERVIRE,
A POSTERIORI VENTILATA,
ADDVCTIS IVRIVM MVTATIONIBVS
EX LAPSV TEMPORIS IN STATV
PRAEPRIMIS PVBLICO
SACRI ROMANI IMPERII
O R T I S,
QVA
PRAELECTIONES AESTIVAS
PVBLICE INDICIT
D. WALTER VINCENT WIESE.



ROSTOCHII,
LITTERIS RÖSENIANIS
MDCCLXV.

1771.

13

1765,4

191

4

DISQUISITIO HISTORICO-LIBRICA
AN ET QUAE
IVSTAM CONSULTAMQUE SIT
TEMPORE INSTRUMENTI
A POSTERIORI REPERTA
ADDUCTIS IVRVM MUTATIONIBVS
EX LARGO TEMPORE IN STATU
LEGISIMIS LIBRIS
SACRI ROMANI IMPERII

D. WALTER VINCENT WIESE

POSTERIORI
LEGISIMIS LIBRIS
INDEPENS





Mutantur tempora & nos mutamur in illis, verissimum certe est proverbium. Tam in aulis principum, quam in ædibus privatorum, tam inter gentes quam inter ipsos ejusdem territorii incolas, tam in victu, quam in amictu, tam in legibus quam in moribus civium veritatem hujus adagii invenimus. Quotiesne reges & imperantes mox cum hac mox cum illa gente fœdera faciunt, bella gerunt, pacem condunt? Inter quas nationes non ita pridem infestissimum gerebatur bellum, jamjam acerbissimum inter eas hodie subsistit amicitia, fœderis & mutui adjutorii vinculum. In familiis privatorum eadem observantur mutationes, dum mox invidia & æmulatio dissidias litesque concitat, mox data alia occasione e. g. matrimonii inter personas familiarum adversantium contracti non solum concordia restituitur, sed etiam interesse utriusque familiae pro uno eodemque in posterum cognoscitur. In corporibus & collegiis idem sere contingit, dum membrorum animi & sententiæ mox con-

A 2

juncti



juncti mox disjuncti reperiuntur. Taceamus novas iterum iterumque
 mutatas vestimentorum formas novaque per luxuriam inventa esulia
 & bibalia, quibus tam luxus est auctus quam impensæ ad rem geren-
 dam domesticam necessariæ multiplicatæ sunt. Et in his negotiis pri-
 vatis regulam, quod tempori sit inserviendum, valere, nullus certe
 dubitabit. Ast non tanti est ponderis observatio hujus regulæ in rebus
 domesticis, quam in negotiis publicis. In his enim salus versatur pu-
 blica ad quemcunque redundans civem & subditum. Operæ ergo pre-
 tium esse duximus, mutationes ex lapsu temporis præsertim in statu
 nostro publico ortas, quæ nobis historiam & jus publicum nostri im-
 perii more academico per aliquos annos prælegendibus obvenerunt,
 paulo latius enarrare, atque ex iis, tamquam per argumentum a po-
 steriore, demonstrare & involvere, quam justum sit, tempori inser-
 vire, quamque consultum sit, tempora & pristina novis & hodiernis
 discernere, juraque ex lapsu temporum mutata probe perdiscere, ne
 idem committamus vitium, quod nuper incidit sartor, qui novam pro
 homine juvene confecerat vestem, ast forma antiqua & senibus pro-
 pria incio & invito juvene usus erat. Juste ille sartor ad solvendum
 vestis pretium condemnatus est, jusseque adhuc hodie damnantur &
 taxantur, qui in negotiis præcipue publicis mutationum juris ex lapsu
 temporis ortarum immemores sunt, nec tempestive salubrem recor-
 dantur vivendi regulam: *quod tempori sit inserviendum.*

Percurras quæso historiam Imperii nostri, regnorum Europæo-
 rum, provinciarum tam externarum quam domesticarum, civitatum
 pagorumque in iis sitorum, & sane maximam in iis, moribusque in-
 colarum invenies mutationem non nisi temporis lapsu ortam. Evol-
 vas,

vas, si placet scire veteres Germanorum mores, Patrem illum historico-
 rum patriorum TACIT. *de Moribus Germ.* quemque secuti sunt, STRAUCH
de armis veter. Germ. SCHEDIUS *de diis germanis*, CONRING *de habitu*
corporum Germ. antiquo & SORBER *de Comitibus veterum Germanorum.*
 Quam longe distant mores in hisce historicorum commentariis narrati
 ab hodiernis! Restant quidem adhuc nonnulli antiquorum Germano-
 rum mores, jure sanguinis & per nativitatem quasi apud nos conser-
 vati, quos recensent TADDÆUS *de Germanorum veterum aviditate bi-*
bendi, JANI *de odio Germanorum erga causarum patronos.* SCHÜTZE
von dem Hafs der alten Deutschen gegen die Advocaten. EBELING *de*
provocatione ad judicium Dei. Ast vero perquam pauci floccique
 sunt habendi intuitu eorum, qui successu lapsuque temporis in statu
 publico & privato, in politicis & œconomicis reperiuntur mutati. In
 aurea bulla, notissima illa lege Imperii nostri Germanici fundamentali,
 secunda in ordine legum, quas habuimus, scriptarum, multa inve-
 niuntur sancita tunc temporis quidem saluberrima, hodie autem pror-
 sus inusitata, ne dicam, detestanda & subsequenter legibus expresse
 abolita. Non immerito huc refertur, quo *Cap. XVII. de Diffidatio-*
nibus per constitutionem, uti verba sonant, in perpetuum valituram
 modus diffidandi præscriptus ejusque licentia permessa est. Quæ *C. I.*
de conductu electorum disposita sunt, non quidem simili digna sunt de-
 testatione, ast pari modo lapsu temporis, cessante illo jure manuario
 & diffidandi licentia, restitutaque viarum publicarum securitate, extra
 usum venerunt. Accede propinquius nostra, quibus vivimus, tem-
 pora, perlustrando antiquam politiæ ordinationem patriam provincia-
 lem de Anno 1572 taxamque ibi annexam, & miranda tibi obveniet
 A 3 mutata



mutata rei hodiernæ facies. Memorabilia nobis obveniunt jura territoriorum Imperii nostri Romano-Germanici publica, per militem perpetuum mercenarium novissimis temporibus magis magisque stabilita & ampliata. E contrario quæ superfuit ab una parte Imperatoris plenitudo potestatis, & ab altera parte subditorum libera agendi facultas in diem obsolevit & circumscripta est. Quantum ad salutem reipublicæ publicam promovendam conducit, nec philosophus nec jureconsultus quidquam monendum aut taxandum habebit, dum supremæ Principis inspectioni omnia cedunt, quæ alioquin juri alicujus quæsito reservata videntur, præprimis in locis terrarum necessariam rerum mutationem efflagitantibus. Ideo est quod recte adfentiamus Consultissimo Domino SPALDINGIO in *Dissert. Inaug. de suprema inspectione principum S. R. J. protestantium generali in sacra & politica*: Jus hoc majestaticum ad regalia inseparabilia & incommunicabilia referenti. Regula enim novioribus publicistis indubitata est & communi quasi consensu accepta, quod omnia regulariter jura majestatica, summoque alioquin imperio secundum jus naturæ coherentia, superiori- tati territoriali sint propria, aut ut germanicis cum illustri PÜTTERO in *kurzen Begriff des deutschen Staatsrechts* Libr. 3. C. 1. §. 64. loquar verbis: *In der Landeshoheit sind der Regel nach alle Rechte der höchsten Gewalt begriffen*, cui jam præcessit beatus SCHMAUSIUS in *compendio juris publici* Libr. 3. C. 2. §. 3. verbis: *Es ist also heut zu Tage die superioritas territorialis in regula ein Complexus aller derjenigen Rechte die zur Regierung von Land und Leuten erfordert und von den Landesherrn aus eigener Gewalt auch mit Ausschließung des Kaisers in den Grenzen ihres Territorii ausgeübet werden.* Quod eo indubitatus est,

est, quo certius ex dispositione legis Imperii fundamentalis puto *Art. VIII. §. 1. Instrumenti pacis Osnabruggenfis* constat, principes nostros in pleno liberoque superioritatis territorialis huicque annexi Imperii exercitio stabilitos firmatosque esse, id quod Capitulationibus Cæsareis repetitum se exhibet, uti in novissima FRANCISCI. I. AUGUSTISSIMI capitulatione *art. 1. §. 9. art. 15. §. 1. & 2. art. 1. §. 4. & 8.* sancitum reperimus. Hoc autem non nisi mutatione temporum contigisse historia duce discimus. Antiquis enim temporibus ignotam fuisse tam qua nomen quam qua rem superioritatem territorialem recte testatur LIMNÆUS in *jure publico imperii Romano-Germanici Tom. IV. p. 629. verbis: die Landesfürstliche Obrigkeit ist vor alters im Reich ein ganz unbekannt Ding gewesen, und ist erst ein neuer fetus seculi nostri.* Cui adfentiunt magnus ille historicus CONRING in *Dissert. de Ducibus & comitibus Germaniæ §. 19-22.* & strenuus alioquin iurium territorialium defensor DE LUDWIG in *Diss. de Germania principe post Carolingica sub Conrado I. Cap. IV. §. 4.* Haud incongrua igitur videtur sententia beati SCHMAUSII *c. l. §. 1. ita essentis: Nachdem die Stände des Reichs diejenigen Lande, denen sie anfangs nur als Magistratus vorgesetzt gewesen, zugleich nebst der Jurisdiction darüber das Lehn erblich besessen, und hernach allerley Regalien, Münzen, Zölle und kaysertliche Domainen unter allerley Titel particulariter nach und nach an sich gebracht - - - so sind sie in den Besitz der Landeshoheit oder superioritatis territorialis gekommen.*

Ex quo evenit, ut quæ civitates quæque subditorum societates solum olim Imperatorem ceu Dominum & Imperantem deveneratæ sint, principes vero non aliter quam magistratus subordinatos & Imperatoris

toris



tōris nomine tantum regentes agnoverint, nunc mutata rerum facie eandem venerationem idemque obsequium, imperatori debitum, principibus & dominis territorialibus, jure proprio hodie regentibus, præstare teneantur. Quid quod jura superioritatis territorialis adeo invaluerunt, ut antiqua privilegia Cæsarea superioritati territoriali adversantia hodie pro invalidis habeantur, quorum permulta adduxit exempla LUNIG *in Reichs-Archiv Tom. XI. in Anhang p. 40-49.* inter quæ memorari licet privilegium exemptionis ab oneribus personalibus realibus & mixtis nobili cuidam a Dœring concessum, ad quævis quidem territoria, ubicunque nobilis ille versaretur aut habitaret, extensum, neūquam vero a Dominis territorialibus agnitum. Alterum ejusmodi privilegium hodie pro inntili habitum civitati Nordlingæ datum quidem est, ne nundinæ in circuitu milliari ab urbe celebrarentur, ast a proxime adfinibus dominis territorialibus negligitur, cum juri instituendarum nundinarum superioritati territoriali annexo adversatur. Idem contigit Colonie Agrippinæ privilegio ditatæ, ne in circuitu certorum milliarium urbs condi queat, quippe hoc non obstante oppidum: MÜHLHEIM juribus civitatis a principibus Juliacum possidentibus est præditum. Ut plura taceam exempla similia, quorum justiciam supremum strenuus Legum & privilegiorum interpret valde dubitaret, quidquid *in Recessu imperii novissimo §. 16. & in Capitul. Cæsar. art. 18. §. 6. item art. 1. §. 9. art. 15. §. 5.* sancitum sit, cum ibidem ea tantum annullentur privilegia, quæ post introductam & stabilitam superioritatem territorialem contra jus principum jamjam imperantium concessa sint. Quæ autem jam diu ante hac emanarunt, juste servanda & ex eo sunt judicanda, quod tum temporis juris fuit & observantiæ, prouti

prouti non solum ex natura legum & privilegiorum abunde sequitur, sed etiam recte jam observatum est ab ill. RÜTTERO in *kurzen Begriff des deutschen Staatsrechts* Lib. 5. Cap. I. §. 142. verbis: *Wiewohl bey älteren Privilegien nur auf die damals eingeführt gewesene Erfordernisse zu sehen ist.*

Eadem fere notatu digna contigit successu temporis mutatio circa jus eligendi Imperatorem & locum electionis. Olim enim omnes Imperii regnique germanici proceres ad eligendum Imperantem convocatos, electionemque sub dio in campis & castris factam esse, uno plura testantur historiarum monumenta, inter quæ recensere placet, HUND in *Metrop. salisb.* P. I. p. 47. ubi ex epistola Archiepiscopi Hattonis ad Papam Johannem IX. refertur, *Ludovicum Infantem communi principum consilio & totius populi consensu in regem esse electum.* Similiter de electione Conradi Salici enarravit WIPPO de *vita Conradi salici* apud PFEFFINGER ad VITRIARIUM Lib. I. p. 100. *tandem condita est dies inter Moguntia consinia & Wormatia - - - ibi dum convenissent cuncti primates, & ut ita dicam, vires & viscera regni, eis & citra Rhenum castra locabant - - - Hinc sumto judicio concordie confedere principes, populus frequentissimus adflabat.* Hic eligendi modus ad turbulenta usque tempora, quæ vocant interregnum fuit observatus, teste OTTONE FRISINGENSI in *chronicone rerum ab origine mundi ad ipsius usque tempora gestarum* L. 7. c. 4. p. 415. Irruente autem tunc temporis bellorum intestinorum diffidationumque privatarum calamitate, locus electionis non solum e campo ad urbem est translatus sed etiam maximus Principum numerus ob metum aggressionis deprædationisque absuit, actuique electionis haud raro plures in-



terfuerunt, quam quibus ob necessitatem præstandorum officiorum aulicorum comparandi lex fuit absoluta. Ex quo tunc sensum tam nomen honorificum *Electorum* quam jus præcipuum eligendi imperatorem exclusis reliquis ortum esse, haud injuste argumentari licet, prout nobis præiverunt BECKMANN in *Diss. de imperatore Ramono Germanico ejusque electione §. 56.* & illustris PÜTTER in *Grundrifs der Staatsveränderungen des deutschen Reichs edit. de Ao. 1755. p. 215.* quamvis etiam a BOEHMERI Sententia in *Diss. utrum electores vi archiofficialium Imperatorem eligant*, electoribus jure proprio qua Principibus non qua archiofficialibus electionem Imperatoris competere, haud dissentiamus.

Inter mutationes juris publici temporis lapsu evenientes referri adhuc licet, quod de Coronatione novi Imperatoris Aquisgrano peragenda & de prima regali curia Norimbergæ celebranda claris verbis *Cap. 28. §. 6.* Aureæ Bullæ, alioquin sanctissimi servatæ, sancitum invenimus. Quantum quoque harum civitatum sit jus ex hac lege fundamentali quæsitum, attamen vix illæ ultra cautionem de non præjudicando scriptis conceptam, vulgo *einen Revers* accipiunt. Et certe non sine exiguis fieret molestiis, si comitia Imperii per totum jam seculum Ratisbonæ durantia, ob solum Norimbergæ commodum illuc transfererentur, & coronationem Imperatoris alio quam electionis loco & tempore fieri, Aquisgranum prætere vellet.

Pari ratione facies rerum maximopere immutata est tam respectu loci, quam intuitu formæ conveniendi in comitiis imperii universalibus. Ex supra citatis historicis antiquioribus constat, comitia olim in campis celebrata esse. Tunc temporis Archimarschallus equitando vicibus nuntii in proponenda deliberationis materia & in

col.

colligendis votis fungebatur. Postea vero quam in urbibus celebrata sunt comitia, & in conclavibus ad sessionem itum est, ortæ sunt haud pauca contestationes inter archicancellarium, cujus munera & negotia in conclavibus e calamo expediri solent, & archimareschallum, qui non obstante loci mutatione & diverso tractandi modo officii tamen antea gestis se abdicare noluit; donec tandem diræ transactiones annis 1529 & 1562 inter ipsos initæ litesque, inter illos ortæ, ita compositæ sunt, ut in curia solenni, præsentem scilicet Imperatore aut rege romanorum, electori Saxonico, alioquin vero Electori Moguntino vota colligendi jus fuerit observatum, conf. *Vertrag zwischen Churmaynz und Chursachsen der Umfrage halber in gemeiner Reichsversammlung de Ao. 1529.* in SCHMAUSENS *Corp. jur. publ. acad. p. m. 89.* Et intuitu propositionum, vulgo die *Anfrage*, adeo convenerunt ambo electores ut schedulæ propositionum, nominatæ die *Anfragezsedels*, a Moguntino Electore conficiantur & aut præsentem Electori Saxonico, aut eo absente Mareschallo hereditario ad transmittendum ceterisque legatis tradendum exhibeantur. Vide *Vertrag zwischen Churmaynz und Chursachsen der Anfrage halber auf Reichs- und andern Versammlungen de Ao. 1562.* in SCHMAUSENS *Corp. jur. publ. acad. p. m. 258.*

In votis Principum comitialibus eam invenimus historia duce immutationem, ut quot olim numerarentur capita, tot etiam valerent vota. Irruentibus autem belli intestini per dissidia religionis calamitatibus, earumque causa imminuta votantium & in Comitibus comparentium numero, querebatur post feliciter restitutam pacem Westphalicam in Comitibus Ratisbonæ Ao. 1653. inchoatis & Ao. 1654 finitis,



quomodo post tantos casus & post tot discrimina rerum esset votandum, cum haud exiguae mutationes in personis familiisque principum, ut & in terrarum possessionibus, durante illo bello pernicioso accidissent. Et communi quasi consensu numerus votantium in comitiis de Ao. 1582 quietissimis & frequentatissimis inter ea, quae ante bellum tricennale sunt celebrata, adeo pro norma adsumebatur, ut abhinc flatum vota non tam personis quam cuilibet territorio inherere statuta sint, nomineque familiarum, quae ante annum 1582 vel emortuae sunt vel ad superiorem adscenserunt dignitatem, non amplius ferantur suffragia pristina; e contrario ferantur nomine earum, quarum mutationes post annum 1582 contigerunt, uti apparet in familiis de *Tech* de *Züringen* de *Meran Stiria* & *Carinthia*, quarum vota nullibi hodie invenies; contra ea ob emortuas familias de *Henneberg* de *Leuchtenberg*, *Pommerania* & *Saxo-Lauenburgi* vota adhuc perdurant nulla certe alia habita ratione, quam quod in illis mutatio ante annum normalem de 1582 in his vero post annum illum decretorium contigerit. Confr. MOSERS *Ursprung und Grund der jetzigen Stimmen auf der Deutschen Reichs-Fürsten-Raths weltlichen Bank*. Im Staatsrechte Tom. 34. p. 281. seqq. MARTINI *de origine & ratione votorum hodiernorum serenissimae familiae Mecklenburgicae* p. 6.

Quemadmodum ante dicta de collegio principum valent, ita etiam intuitu collegii civitatenfis sequens notatu digna est mutata rerum facies. Cum olim comitia sub dio celebrarentur, proceresque Imperii non solum principatus nobilitatisque decore, sed etiam ornatus comitatusque fulgore splendescerent, deputati civitatum autem ex ordine ingenuorum maxime nati essent & minori pompa adaequare & ad-

vehere

vehere possent, hi non nisi e longinquo campum comitorum & locum deliberationum, quibus illi illustres intererant, adstabant, & quid ab illis proceribus conclusum erat, postea percipiebant, quo facto iis omnino liberum erat, de subtrata materia deliberandi, votumque proceribus communicandi, quod tamen tum temporis magis consultativum quam decisivum erat. *DATT de pace publica lib. 5. cap. 6. p. 802. seqq.* Translato deinde comitorum loco a Campis in urbes, conclave deliberationibus conventibusque destinatum ita adornabatur, ut civitatum deputati per Cancellos separarentur a reliquis proceribus. Postquam vero & hi in duo se diviserent collegia, electorum nempe & Principum, civitates tertium formare coeperunt collegium, habito tantum voto pristino consultativo. Pace tandem Westphalica *art. 8. §. 4.* votum decisivum civitatibus est attributum, quod quatenus, dissentientibus duobus collegiis superioribus, per adfensum collegii civitatenfis, alterutri dissentienti superiori datum, majora efficere possit, de eo theoretice quidem propter naturam & essentiam voti decisivi disputare liceret, praetice vero ab electoribus & principibus terse id negatur; uti apparet *aus der Erklärung der beyden höheren Collegien wegen des Reichs-Städtischen Voti decisivi de Ao. 1653.* vid. *LONDORPS act. publ. Part. 7. libr. 6. c. 306.* *HERDENS Grundfeste part. 2. cap. 6. p. 140. seqq.* Et recte negarunt collegia superiora interpretationem extensivam privilegii, civitatibus per pacem Westphalicam concessi, cum alioquin earum votum, si dissensum duorum superiorum collegiorum decidere posset, plus valeret ac votum reliquorum. Quod ut evitetur duo superiora collegia, si inter se dissentiunt, nunquam hodie cum collegio civitatenfi re-et correlationem inire solent. Quo-



ties igitur duo superiora collegia sive inter se sive a civitatibus dissentiunt, aut nihil agitur, aut singulorum collegiorum triplex sententia, aut conclusum duorum collegiorum, adnexa dissentientis unius collegii singulari opinione, in formam suffragii redigitur, atque imperatori vel decifio relinquitur, vel saltem, ut ulteriori deliberationi anam præbeat, relinquatur, prout testatur PÜTTER in *elem. jur. publ. germ. lib. 2. Cap. 4. §. 244.* citatis simul, qui hanc materiam docte pertractarunt, auctoribus inter quas enarrare licet SCHRÖDER *de voto decifivo civitatum imperii in Comitibus.* WICKH *de jure liberarum imperii civitatum adspirandi ad simultaneam re-et correlationem in Comitibus imperii R. G. ex voto decifivo ipsis competente fluente.*

Quæ porro feudorum instituto & originis anam dedit militia antiqua hodiernis temporibus adeo est immutata, ut nullum fere amplius vestigium, nisi in imaginibus veterum & armariis Principum supersit. Attamen res ipsa, feudorum scilicet existentia, cessante licet ratione, non desit. Interim principes potentiores pro servitiis personalibus nunc ipsis inutilibus certam sibi pecuniam solvi curant, quam nomine adohæ & adærationis servitorum feudaliurn cognoscimus, & de qua prolixius egerunt COCCEJI *de adoha* item LUDECKE & PELE *de adæratione servitorum feudaliurn.* In patria nostra ejusmodi tributa nunquam a vasallis exposcere nec iis imponere velle Serenissimus elementissime promisit in §. 470. *des Landes Grundgesetzlichen Erbvergleichs,* e contra vasalli ad præstanda servitia feudalia secundum regulativam, proxime post peractam dimensionem prædiorum generalem, ordinandam, obstricti manent secundum §. 469. *des vorbemeldeten Erbvergleichs.*

Qua

Qua modum investiendi investituramque accipiendi ea quoque contigit mutatio, ut feuda olim majora secularia sub dio, multis ceremoniis magnoque solennitatum apparatu, ab imperatore throno imperiali insidente, in circuitu aliorum imperii procerum, principibus comitatu subvassalorum adæquitantibus, per vexilla insignibus territoriorum in feudum dandorum ornata, conferebantur; unde nomen feudorum vexilli ortum est, de quibus pluribus egit GUNDLING in *Diff. de feudis vexilli*. Hodie autem illa rituum ambages in desuetudinem prorsus abiit principesque seculares tantum per legatos, specialiter ad præstandum juramentum fidelitatis, in animam principalium instructos, absentiam tamen principalium excusantes, quæ excusatio regibus est remissa, coram throno ab Imperatore, qui gladii capitulum legatis, in genua decumbentibus, ad osculandum porrigit, investiuntur LUNIGS *Corp. jur. feud. Germ. Tom. I. p. 95*. In ecclesiasticorum principum investitura e contrario hoc adest discrimen, quod non gladii sed sceptri symbolum adhibeatur, unde feuda ecclesiastica feudorum scripti elogio insigniri solent, de quo disserit TREUER *de investitura per scriptum*. Ne vero in despectum Imperialis dignitatis legati inferioris ordinis investituræ accipiendæ causa mittantur, cautum est communi Senatus Imperii aulici decreto, ut tantum viri, qui a consiliis principum sunt privati, nobilitateque antiqua & equestri sunt nati, protinus admitti debeant. Conf. *Reichshofraths Decretum de Ao. 1688*. in SCHMAUSSENS *Corp. Jur. publ. acad. p. m. 114*.

Meditando mutationes in feudorum collatione ortas obvenit nobis adhuc; quo intuitu successionis in feuda tempora antiqua dissent a mediis & novioribus: Antiquo ævo nempe feuda æque personalia fuisse,



ac servitia fuerint; certissimis novimus historiarum documentis: Immo-
 annali possessione tantum gavisos esse vassallos italicos, pro functione
 officiorum annuorum constat ex *1. F. 1. §. 1. Et ex THOMASII Select.
 feud. Tit. de originibus feudalibus.* Germanorum quoque & imprimis
 Francorum beneficia æque incerta & fere precaria erant, licet secun-
 dum regulas prudentiæ Ducibus, Comitibus aliisque officialibus po-
 tentioribus non facile nec sine ratione sufficiente feudis officiisque exi-
 mebantur. Conf. WOLFFII *Diss. de origine Et prima indole feudorum
 imperii §. 27. Et seqq.* Carolingorum ætate successio filiorum ideo
 sensim invaluit, ut filio capaci injuria fieri videretur, si feudum a patre
 possessum ipsi ad servitia & officia æque habili denegaretur. Tantum
 vero abest, ut hoc temporis momento jus successione certum statuere
 liceat, ut potius a regis gratia dependisse sciamus, velint filiis conferre
 feudum morte patris apertum, nec ne, & in priori casu inter filios
 maxime idoneum eligere. *1. F. 1. §. 1. ALTE SERRA de Ducibus Et
 Comitibus Lib. 3. Cap. 20. GUNDLING in Gundlingianis Part. 15.
 Obs. 2. §. 9.* Conrado II. regnante tandem singulari constitutione
 firmata est successio tam filiorum quam agnatorum a primo acquirente
 descendentiū *5. F. 1.* cujus legis historiam & occasionem longius dis-
 cussit SCHAUMBURG in *Program. de auctoris veteris de beneficiis ve-
 tustate p. 7. seqq.*

In bonis porro regiis antiquis domaniumque imperii olim consti-
 tuentibus ea successu temporis orta est rerum mutatio, ut maxima
 eorum pars nimia imperatorum prodigalitate in flatuum præprimis
 ecclesiasticorum potestate pervenerint, & qui adhuc super sunt pagi
 immediati imperium quidem imperatoris immediatum venerantur,
 ast

est sine insigni ipsius emolumento, dum par illis cum civitatibus imperii jus est proprios sibi magistratus constituendi eligendique, qui quidem sub advocatia & protectione, aut nequaquam sub superioritate territoriali principum vicinorum per plurima ne dicam fere omnia exercent jura magistratibus liberis plerumque competentia. Conf. LUDOLF *in jur. cam. p. 18. & seqq.* MOSERS *Reichshofraths-Conclusa Tom. 5. p. 831. & seqq.* EJ. *Staats-Archiv de 1751 part. 2. p. 67. & seqq.* Quæ autem bona proventus prædiaque imperii domanialia successive alienata sunt, quidquid de injustitia & invaliditate hujus facti disputet LYNCKER *in Diss. de potestate imperatoris alienandi bona imperii Cap. 2. Thes. 3.* hodiernis tamen temporibus irrevocabiler a possessoribus tenentur, cum imperator *in Capitulatione art. I. §. 9.* plenissimam promissit possessionum securitatem. Ad redintegrandum imperii domanium cautum quidem est *in art. II. §. 10. & n. capitulationis cæsareæ*, ut feuda imperii majora aliquando vacatura locum bonorum domanialium occupare debeant. At veremur, ne mox subsequens *§phus 12. cit. art. capit. doch uns von wegen unser Erblanden und sonstn männiglich an seinen Rechten und Freyheiten auch denen von unsern Vorfahren am Reich denen Ständen propter bene merita ertheilt und denen damaligen Reichs-Constitutionibus gemässen Anwartungen auf künfftig sich erledigenden Reichs-Lehen an ihrer Kraft und Bindlichkeit ohnschädlich*, omne dispositionis illius alioquin salutaris effectum plene fere adimat, quoniam raro existit feudum imperii majus expectantiarum aut legalium aut conventionalium immune.

Successu quoque temporis & quidem novissimo, quo nunc vivimus, seculo invaluit recursus ad comitia tanquam remedium contra
C
ambo-



amborum summorum Imperii tribunalium judicata. Quod ad legitimandum hocce novum & alioquin insolitum remedium e judiciis principum veteribus nunc autem obsoletis, & e gravamine statuum communi eruere studuerunt. ESTOR in *Tr. de judicio principum fundamento Et radice provocationis vulgo recursus ad comitia* & BOEHMER in *Diff. de gravamine communi S. R. J. statuum* ad gustum quidem Principum recurrentium est, attamen magis arident, quæ ipsi legis imperii fundamentalis verbis in defectu remedii revisionis ponuntur cause legitimantes atque ceu novum quid odiosum restringendum esse disponitur, uti apparet ex §. 3. artic. 17. *Capitulationis novissimæ, auch denen in letzteren Zeiten bey Ermangelung des remedii revisionis ad comitia genommenen recursibus Ziel und Maaß zu setzen ist*; quam legis dispositionem peculiari illustravit commentario illustr. AYRER in *Progr. de recurso ad comitia per capit. noviss. restricta non sublata*. Primum hujus recursus exemplum exhibet LUNIGS *Grundveste Tom. I. p. 228.* ubi enarrationem litis inter serenissimam Domum Hasslo-Darmstadiensem & nobiles immediatos vallem Busseck inhabitantes ventilatæ, & a judicio quidem Imperii aulico in favorem nobilium decisæ sed per recursum ad comitia, a Landgrafio Hasslo-Darmstadiensi interpositum, suspensæ, posteaque amicabiliter composite invenies. Succesit huic exemplo non ita multo post casus in Episcopatu Monasteriensi controversus, ob veram nobilitatem patriciorum nomine *Erbmänner* insignitorum, quorum causa capitulum monasteriense a Sententia in camera imperiali lata recurso ad comitia sibi prospexit, eoque effecit, ut ad revisionem actorum in hac causa ventilatorum deputatio Imperii extraordinaria Wetzlarum versus sit electa, quæ autem propter paritatem

tatem votorum litē reliquit indecisam. Post hæc exempla usus recursuum ad comitia olim inuicatorum adeo increvit, ut loco remedii suspensivi absque ulla tamen formalium fataliumque cura invalescere videatur.

Sicuti in aliis Europæ regnis, ubi statuum consensus consiliumque requiritur, insolitum foret, eosdem tanquam unum corpus non considerare: ita idem quoque obtinuit olim in Germania. Evenit autem per reformationem religionis indeque natam discordiam, ut status nostri se invicem per scædera sub ligarum unionumque nomine ac tandem superveniente belli intestini calamitate per exercitus militares diviserint. Quo facto etiam omne studium omnisque labor ad reconciliandos animos, opinionum causâ erga se invicem infestos, institutis licet semel iterumque colloquiis theologicis, incassum fuit, resque eo devenit, ut quod ante unum erat statuum corpus jamjam in duo corpora, unum nempe catholicorum & alterum evangelicorum, sese dispesceret. Hinc porro originem itionis in partes legibus certe antiquis plane ignotæ quæres, & ambo nova successu temporis orta tam qua nomen quam qua rem non solum expressis *art. 5. §. 52. pacis Westphalicæ* verbis sed etiam observantia indubitata ac sæpius hodie in comitiis imperii usitata invenies. In quibusnam autem causis hæcce distinctio duorum corporum & hæcce itio in partes locum inveniat, & an solæ tantum religionis causæ sint intelligendæ & assumendæ, adhuc quidem theoretice sub iudice lis est. Conf. *SACRA LIBERTATIS ANCORA* h. e. *Analysis §. 52. art. 5. J. P. W.* ubi agitur de pluralitate votorum in quibus causis non sit attendenda. *Speciatim de jure eundi in partes nec non de jure singulorum.* SVEDER *de jure eundi in partes sive de casibus a jure*




jure majoris partis in comitiis S. R. G. J. exceptis in J. P. W. art. §. §. 52. firmatis. ICKSTADT Diss. 4. *de jure eundi in partes* sub variis rubris hanc materiam concernentibus editæ. Præctice vero in diversis casibus religionem proxime haud concernentibus eo decisa res videtur, ut tantum a voto corporis cujusvis communi in quacunque causa exercitium juris eundi in partes dependeat. Vid. LONDORP *act. publ.* Tom. 7. libr. 6. p. 360. MOSERS *Staats-Recht* T. 48. p. 369. & 394. SCHAUROTH'S *Sammlung vom Corp. Evangel.* Tom. 3. p. 722. 927. & 780.

Respectu juris Principum circa sacra variæ notatu dignæ successu temporis evenerunt mutationes. In primæva enim ecclesia & antiquissimis temporibus penes imperantem hoc jus fuisse, discimus ex Constitutionibus Theodosii Imperatoris in Codice Theodosiano, & ex iis, quas Imperator Justinianus de S. S. Trinitate, de Episcopis, de Monachis & de diversis aliis personis rebusque ecclesiasticis hinc inde in Codice & Novellis occurrentibus sancivit, quasque non confirmando statuta episcoporum vi Pontificatus maximi, uti nonnulli opinantur, conf. BOSE *exerc. Historica de Pontificatu maximo Imperatorum romanorum*, sed novas vi Imperii leges condendo emanare curavit Imperator, uti pluribus evicit, HENNING *de jure imperatorum circa sacra*, cui adsentit BRUNNEMANN in *jure eccles. Lib. 1. Cap. 2. §. 15.* simul enarrans tam Concilia ab Imperatoribus convocata, quam propositiones ab illis factas decisaque ipsorum executione commissa esse. Id quod non solum a Romanorum Imperatoribus sed etiam a Germanorum regibus, post adeptam præcipue ab his dignitatem imperialem novimus, teste GOLDASTO in *constitut. imper. Tom. I.* referente per plurima de religione decreta Caroli Magni, cujus potestatem eligendi Ponti-

Pontificem & ordinandi apostolicam sedem ipse agnovit Papa Hadrianus cum universa synodo conf. c. 22. *Dist. 63.* simile exemplum exhibet c. 23. *Dist. 63.* quo pariter a Leone Papa supremum in ecclesiasticis imperium Ottoni Magno Imperatori est tributum. Successu deinde temporis, crescente imprimis laicorum superstitione & clericorum astutia superbiaque, exercitium juris circa sacra ab imperantibus ad episcopos usque superiores pontifices sensim paulatimque ita devolvebatur, ut audacter doceretur & crederetur, quod ipsi etiam imperantes in causis ecclesiasticis jurisdictioni & censuræ clericatus subessent, legesque Imperatorum postponendæ essent canonicis regulis & non nisi in favorabilibus valerent. Conf. c. 1. *seqq. Dist. 10.* Immo non erubuerunt Pontifices, imperium quod vocabant ecclesiasticum ad causas civiles & politicas adeo extendere, ut sub specie hæreseos per inobedientiam erga dictata papalia commissæ, & sub pallio Simonix ob constitutionem & confirmationem episcoporum inculpata, Imperatores excommunicationibus persequi & dignitate imperatoria eximere auderent, cujus facti tristissimum historia Henrici IV. exhibet exemplum de quo UHLE *de Methodo Hildebrandina perveniendi ad Monarchiam universalem.* Continuarunt Papæ subsequentes hunc agendi modum, qui doctrina & concionibus clericorum pariter ac turbulentia temporum, per expeditiones cruce signatorum aucta, adeo stabiliebatur, ut non nisi cum maximo vitæ & libertatis periculo hierarchia papalis aboleri, reformatio perverforum principiorum institui, & exercitium juris circa sacra Principibus reddi potuerit, conf. FELZ *delibata juris publici de fati juris circa sacra in J. R. G.* Factum id tandem est Deo singulariter adjuvante per reformationem beati Lutheri, cujus fata quidem



aliunde jam nota, pro nostro scopo autem ideo recordatione digna sunt, ut sciamus, hujus viri studio & labore evenisse, ut finitis bellis religionis & tricennali funestissimis, suspenſaque per pacem religiosam de *No. 1555. §. 20.* & *Pacem Westphal. art. 5. §. 48.* tota jurisdictione clericorum ecclesiastica, una cum jure diœcesano alioquin clericis vindicato, principes evangelici recuperarint jus circa sacra, quod vi imperii & superioritatis territorialis illis quidem jam dudum compete-
 bat, in cujus exercitio autem per clericatus prædominantiam impediti erant. *Conf. REINHARD in medit. de jure principum Germanie circa sacra ante reformationem.* *HAHN in observ. ex jure publ. mœdii ævi §. 8.* Quæ cum ita sint, certe errant, qui jus circa sacra principibus protestantibus competens ex jure episcopali aut papali derivare student, inter quos eminent *STRYK de jure papali principum evangelicorum Cap. I. §. 10. & II.* *NETTELBLADT* vel potius auctor & respondens *MADIHN de natura & indole imperii sacri statuum, protestantium J. R. G. cap. 2. §. 33.* *JARGOW Einleitung von den Regalien Libr. I. Cap. III. §. 9.* licet non negandum sit, magnam veritatis speciem huic thesi inesse, cum ante suspensionem juris diœcesani & jurisdictionis ecclesiasticæ, introductam per Pacem religionis & Westphalicam, imperio civili haud erat connexum jus circa sacra, adeoque post illam suspensionem sacrum hocce imperium a Papa & ab episcopis ad dominos territoriales devolutum esse, jûsteque nomen juris papalis & episcopalis adhuc hodie mereri, statuendum foret, idque eo magis, quo certius constat intuitu juris circa sacra principes evangelicos non ita subordinatos esse Imperio Imperatoris supremo ac in reliquis partibus superioritatis territorialis, vid. *HELPERICH de independentia juris circa sacra statuum ordinum*



diuum imperii Germanici evangelicorum, cujus independentiæ maximum est argumentum, quod principes protestantes successerint in jura alioquin Papæ & episcopis propria, ab Imperatoris imperio profus exempta. Qua propter & ob servandam exactam inter protestantes & catholicos, in quorum territoriis nullum jus superius Imperatori in ecclesiasticis restat, æqualitatem, recte negata est imperatoris jurisdictio suprema in causis protestantium ecclesiasticis, in communi voto corporis evangelicorum de 1750 cujus verba notatu digna ita sonant: *Wie man evangelischer Seite des Kayf. R. H. R. Jurisdiction in ecclesiasticis nimmer erkennen, weniger die Execution der in solchen Fällen incompetent ergangenen judicatorum geschehen lassen könne noch werde, vielmehr alle von daher auf eingewandte Appellation oder sonst erfolgende deren Erkenntnisse als mit der Reichsverfassung incompatible, mithin von keinen Kräften zu seyn, und für nicht ertheilt zu halten anzusehen sich gemüßiget finde.* Conf. SCHAUROTH Samml. vom Corp. Evang. Tom. I. p. 286. seqq. KOENIGS *selecta juris publici* Tom. 23. p. 347. seqq. Quidquid vero huic argumento inesse videtur, attamen magis arridet sententia eorum, qui imperio civili adeoque etiam superioritati territoriali qua tali annexum habent jus illud circa sacra & ex inde non noviter per Pacem Religionis & Westphalicam acquisitum sed tantum restitutum stabilitum firmatumque esse, ex vera indole imperii & ex verbis pacis Westphalicæ: *tam in ecclesiasticis quam politicis exercitio*, concludunt. GAIL *de pace publ. Libr. I. Cap. 6.* CARPZOW *jurispr. Const. Libr. I. def. 2. n. 6.* TABOR *de regimine principum ecclesiastico Sect. I. §. 23.* BOEHMER *in instit. juris canon. Libr. I. Tit. 1. §. 13.* FLEISCHERS *Einleitung zum geistlichen Recht.* Lib.



Lib. I. Cap. 3. §. 29. seqq. Distinctio a prælaudato Dno. MADIHN *in cit. disp. §. 42. Schol.* adducta inter superioritatem territorialem qua talem, & imperium sacrum, logomachiam sapere videtur, cum imperium sacrum secundum principia genuina tam universalialia, quam a protestantibus adoptata, *vide art. 28. Aug. conf.* superioritati insit territoriali, & pro ejus specie recte habeatur. In terris catholicorum quidem jura diœcesana & jurisdicctio ecclesiastica secundum principia canonici in manibus episcoporum per suas cujusvis diœceses ita distributa sunt, subordinata licet sub metropolitana archiepiscoporum & summa pontificis romani potestate, ut tam principes catholici seculares, quam ipse Imperator subditi eorum in sacris habeantur. Ast ut ne jus illud ultra causas ecclesiasticas plus justo extendatur, nec Pontifex hierarchiam antiquam, causas civiles ad suam trahendo cognitionem decisionemque, denuo erigat, sed potius causæ seculares ab ecclesiasticis rite distinguantur, nec principes ecclesiastici & quibus præsunt capitula, insolitis gratiis, rescriptis, provisionibus annalis, cæterisque beneficiorum collationibus in detrimentum concordatorum nationis germanicæ, ut & privilegiorum statutorum vel consuetudinum cujusvis archiepiscopi, episcopi vel capituli onerentur, & si qua causa ad curiam romanam devolvatur, attamen nullibi inaudita altera parte monitoriis interdictis, comminationibus aut censurarum declarationibus prægraventur, saluberrime cautum est §. 164. *Recessus imperii novissimi, it. art. 1. 2. 4. & 5. Capitul. Cæsar.* de quo optime commentatus est. ESTOR. *Diff. exhibens vindicias libertatis ecclesiæ German. postulatas a Pontifice Romano contra appellationes ad ejus legatos & rotam romanam, ad illustr. R. J. N. §. 164. & art. 14. capit. cæs. it.*

STECK *progr. sistens vindicias libertatis ecclesie Germanicae circa molendas in hierarchia novationes.* Noscitur exinde, quanta solertia & attentione ipsi principes catholici utantur, ne Pontifex limites potestatis suae & jurisdictionis superioris transgrediatur, cum e contrario antiquissimis temporibus omni studio laborarint, ut potentia papalis in detrimentum potestatis civilis augeatur, & a Pontifice, ad ipsos augmentum devolvatur.

In re monetaria singulorum imperii statuum haec quoque mutatio novissimis contingere videtur temporibus, ut quod olim regale fuit imperatorum per privilegia solummodo statibus imo & eorum subditis concessum, & non nisi secundum tenorem privilegiorum ordinationesque imperii monetarias exercendum. Vide *Recess. Imp. de 1570. §. 132. it. de 1551. §. 46. Et ord. monet. de 1559. §. 174.* hodie a principibus potentioribus ceu jus superioritati territoriali annexum ita exercentur, ut pro lubitu fere unum pedem monetarium deserant, alterumque eligant; prouti publicae subditorum saluti proprioque commodo convenire iis videtur. Quatenus huic scopo tantum inseruit haec dispositio, haud difficili negotio ex jure territoriali defendi licet ejusmodi institutum, juri statuendi legesque pro salute publica ferendi annexum, praeripimus cum hodie non sic uti olim erat, paritas monetarum per totum imperium & in omnibus territoriis absolute sit necessaria, sed potius per litteras cambiales permutationemque monetarum, idem inter diversorum territoriorum vicinorumque incolas efficiatur, quod inter diversas gentes earumque diversa monetarum genera mos & necessitas introduxit. Mediatis autem & minus potentibus statibus non confulerem, limites privilegiorum monetariorum ab Imperatoribus

D

con-



concessorum transgredi, cum alioquin Fiscalis Imperii aulicus illico munere fungeretur suo, cujus rei novissima per bellum proxime finitum exstant exempla, non sine ratione accidentia, cum per novissimam capitulationem *art. 9. §. 9.* privatio regalis monetarii immo etiam suspensio a voto & sessione in abusum privilegii monetarii est sancita. Et licet olim jus monetarium ejusque libera concessio fuit reservatum Imperatoris & in ipsis legibus regale imperatorium appellatum. Vide *Recess. Imper. de Ao. 1570. §. 132.* hodie tamen collationem novi ejusmodi privilegii non nisi consensu electorum praevioque voto circuli, cui addictus est novus ille privilegandus, fieri posse, expressa *Capitulationis novissimae art. 9. §. 6.* lege est praescriptum.

Simili fere modo intuitu regalis postarum principia sese mutant aulica. Ante originem postarum cuicumque liberum erat; nuntios tabellariosque undequaque mittere, aut laniis proficiscentibus ad transportandas litteras mercesque uti *DE COCCEJI de Tabellariis Thef. XI.* Praeterea quoque Cancellariorum nuntii aderant publici, quibus simul permittebatur, litteras aliaque iis commissa sub inspectione tamen judicii & cancellariae secum portare. *PÜTTER in elem. jur. publici germ. Libr. 4. cap. 9. §. 700.* Unde evenit, ut publica postmodum instituta postarum imperii supremae Electoris Moguntini tamquam archicancellarii inspectioni & protectioni reservata sint. Vide *Capit. nov. art. 29. §. 4.* Successu deinde temporis ad exemplum Regis Franciae *Ludovici IX.* qui audaciam & bellicosum *Caroli audacis* Ducis Burgundiae animum suspicabatur, ideoque a Lutetiis parisiensium usque ad Bruxellam nuntios quotidie equitantes, & se de conaminibus *Caroli audacis* certiorum facientes ordinaverat, nobilis quidam belgicus Franciscus de Thurn

& Taxis ad sublevanda litterarum commercia & peregrinantium itinera, ab Austriacis ad Burgundicas primum terras, equitandi vehendique causa, suis sumptibus ordinavit equos & rhedas, tam modicam tantum exigendo mercedem, ut non nisi damnum huic instituto inesse crederetur, quod etiam Franciscus de Taxis ejusque heredes simulabant, ne invidiam moverent, sed ut eo facilius privilegium exclusivum nanciscerentur, quo postea anno 1615 Imperante Matthia per investituram Celsaream sub titulo feudi masculini & regalis Imperii postarum vulgo *Reichs-General-Postmeister-Amt* potiti sunt. Vide SCHMAUS in *Corp. jur. publ. acad. p. m. 774*. In remunerationem hujus beneficii Imperator Matthias quidem pro se & suis successoribus in Imperio, varias a taxis alioquin solvendis immunitates aliaque commoda personalia promitti curavit per expressam cautionem a primo vasallo Lamoral de Taxis subscriptam, cujus copiam exhibet SCHMAUS *c. l. p. m. 776*. Mox autem cum lucrum ex hoc invento prodire animadverteretur, æmulatio orta est primo in ipsis terris austriacis, concessio jure postarum aulico per Hungariam, Bohemiam & Austriam a Ferdinando II. baronibus deinde comitibus de Paar, ex quo tum temporis jam evenit collisio postarum imperialium & territorialium, ortæque sunt querelæ a familia de Taxis electoribus presentata. Quo facto electores singulare Imperatori exhibuerunt suffragium atque insigniter defenderunt postarum regale non tam Imperatori quam imperio proprium, singulæque archiepiscopi Moguntini curæ ac protectioni reservatum, uti apparet *aus dem Churfürstlichen Gutachten in puncto des Reichspostwesens sub dato Regensburg den 12 Jun. 1641*, cujus verba digna sunt quæ excribantur. *Churfürstlichen Gnaden und Durchl. halten dafür das*
D 2 dem



dem H. R. R. auch des von E. Kayserl. Maj. in Dero Erbkönigreichen und Landen angestellten Postamt nichts derogirt und entzogen werden könne zumahl das Reichs-Postamt viel älter und also quoad totum imperium schon lange vorhin *jus quaesitum* & *fundamentum* gehabt hat - - - Wir vernehmen zwar ob solte - - - Taxis in dem von sich gegebenen Revers etwas mehreres, als sich gebühret und dem Reichs-Postamt nachtheilig erkläret haben. Es halten aber Churfürsten davor, das durch solchen Revers dem H. R. R. am seinen Regal nichts *praejudiciret* noch begeben werden könne, bevorab, weil solches ohne Vorwissen und Consens Ihrer Churfürstl. Gnaden zu Maynz dero als des H. R. R. Erzcantler die Protection des Postwesens obliegt, geschehen, und Ihre Churfürstliche Gnaden auch darin nicht consentiren, und den Röm. Reich an diesen seinen sonderbaren Regal etwas entziehen könnten &c. LUNIGS Reichs-Archiv Tom. 4. p. 544. seqq. Quod ut eo melius observetur, capitulationibus sequentibus insertum quidem sed in novissimis Caroli VII. Francisci I. & Josephi II. capitulationibus lenissimis mutatum est verbis, ita ut haud dispar videatur quod, quibus locis exercetur regale illud, iisdem etiam in posterum quiete exercentur, ubi autem dominis territorialibus jam est proprium; nec a quocunque turbetur, uti pluribus evicerunt ACHOLD von dem aus Landesfürstlicher Hoheit her springenden Postregal der Chur- und Fürsten des H. R. R. & qui idem esse videtur auctor, licet diverso nomine tractatum priorem ab insultibus Thuriani defenderit. OCKEL *de regali postarum jure electorum principumque imperii*, cui adfentit WILDVOGEL *de jure principis eminenti circa postas*. Quibus adversantur HORNIGK *de regali postarum jure*. TURRIANI *gründliche Vorstellung von dem*


S. K. M. reservirten Postregal im ganzen Römischen Reiche und allen dessen Provinzen. BOCRIS de reservato Postarum Cæsaris proprio Et quæ tali a statibus imperii agnito ad illustr. §. 3. 4. art. 28. capitul. cæs. nov. Restant quidem adhuc plures jurium mutationes successu temporis evenientes, præprimis in aliis jurisprudentiæ partibus. Eas vero longius enarrare temporis præsentis angustia & solitum programmatis Spatium impedit. Alio igitur has reservamus; si Deus vitam sanitatemque conservat, tempore & sufficiat pro nostro scopo quatuordecim ostendisse exemplis, quomodo diversis temporibus diversa valeant jura & principia sic dicta aulica, ut exinde tanquam a posteriori eluceat, quam justum & consultum sit, tempori inservire. Hanc politiæ & prudentiæ regulam in omnibus negotiis sequentes, tam vitæ curriculum quiete pervadent, quam officiis, sive sint publica sive privata, bene & cum omnium applausu præerunt. Dubium quidem haud leve incidit, quod standum sit in eo, quod ab antiquo legis fuerit & consuetudinis. Et recte quidem, modo principiis obflare licuerit. His vero aut semel neglectis aut non caute satis provisus, æthiopum lavat, qui antiqua & obsoleta jura novis applicare vult temporibus. Quidquid enim justitiæ insit regulæ juris, quod lex scripta aut consuetudo probata semper loqui præsumatur, attamen summum jus sepiissime summa fit injuria, præprimis in negotiis cum potentioribus quorum intuitu magis politice quam juridice agendum, & cautissime tempori inserviendum. Justitiam hujus agendi regulæ in eo quæres, quod lex tibi præcipiat naturalis per legem divinam confirmata conf. Epistol. PAULI ad Röm. 12. v. 11. & ad Ephes. 5. v. 16. SCHICKET EUCH IN DIE ZEIT. Quemadmodum igitur nulla amplius restat dubitatio, quod *justum* sit




tempori inservire, ita omni prorsus exemptum est disputatione, quod etiam *consultum* sit, hanc insequi vivendi agendique regulam. Jureconsulti enim non solum est, leges scire & nude applicare, sed etiam consulere, quid circa hanc applicationem politice observandum est. Et in hac sparta consulendi maximopere se exhibet prudentia Jureconsulti, ejus optima alioquin juris scientia vana immo quandoque nociva evadit. Quæ cum ita sint, nobis quoque animus esset, tempori, quantum possumus, ita inservire, ut inopie docentium & cupiditati discentium nostris sublevemus prælectionibus, quas per instans semestre æstivum sequentibus adornavimus horis, ut scilicet ab hora 9-10 historiam imperii duce PÜTTERO in *Grundriß der Staatsveränderungen des deutschen Reichs* edit. nov. de Ao. 1764 hora 11-12. institutiones juris civilis præeunte HEINECCIO in *elem. juris civilis* hora 2-3 jus publicum Germaniæ secundum PÜTTERI *kurzer Begriff des deutschen Staatsrechts* edit. nov. de Ao. 1764. perdoceamus.

Initium prælectionum e valvis publicis innotescemus. Deus annuet votis in sui gloriam & academiæ commodum. Dabamus e museo d. 13 Martii 1765.









Rostock, Diss., 1759-76

X 228 42 89





DISQVISITIO HISTORICO-IVRIDICA
AN ET QVATENVS
IVSTVM CONSVLTVMQVE SIT,
TEMPORI INSERVIRE,
A POSTERIORI VENTILATA,
ADDVCTIS IVRIVM MVTATIONIBVS
EX LAPSV TEMPORIS IN STATV
PRAEPRIMIS PVBLICO
SACRI ROMANI IMPERII
O R T I S,
QVA
PRAELELECTIONES AESTIVAS
PVBLICE INDICIT
D. WALTER VINCENT WIESE.



ROSTOCHII,
LITTERIS RÜSENIANIS
MDCCLXV.

LXVIII.

19

1765,4

4